



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118278**

§. 21. Perpinianense concilium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

lorum, qui se albis plurium Universita-  
 tum, vel Principum inferendos curare  
 possent; is, qui hoc fecerit, intra mensis  
 spatium ex albis unum deliget, alioquin  
 omni nominatione privandus. Benefi-  
 cia non conferentur nisi partis neutrius  
 studiosis. Hæc sunt, quæ mihi viden-  
 tur ponderosiora in isto Concilii Parisien-  
 sis decreto: ubi maxime noto agnitam  
 necessitatem, utilitatemque conciliorum  
 provincialium.

Sæcul. XV.  
 A. C. 1408.

§. XXI.

*Perpinianense concilium.*

Festo Sanctorum Omnium die Benedi-  
 ctus Perpiniani suum concilium so-  
 lemniissime incepit. Conventus erat fre-  
 quentissimus, & cum ille sacrificasset;  
 Alphonsus Exea Constantinopolis Patriar-  
 cha, & Hispalensis Ecclesiæ Administra-  
 tor elegantem dixit orationem: tum in  
 gratiam absentium sessio dilata fuit in de-  
 cimum quintum Novembris. Duodeci-  
 mo Benedictus Custodem thesauri Maga-  
 lonensis Ecclesiæ, & Aftanæ Procurato-  
 rem dixit Patriarcham Antiochenum.  
 Franciscum vero Chimenium ex Ordine  
 Minorum Gerundæ in Catalonia natum,  
 virtute, ac doctrina conspicuum renuncia-  
 vit Hierosolymæ Patriarcham. Utrum-  
 que consecravit Cardinalis Joannes Arme-  
 niacus.

*Indic. Ar-  
 rag. p. 277.  
 conc. p. 2110.*

*V. Vading.  
 scrip. p. 140.*



Sæcul. XV.  
A.C. 1408.

Concilii Perpinianensis sessio prima fuit 15 Novembris; altera die sabbati decimo septimo mensis hujus. Ibi post sermonem recitata est professio fidei, quam se tenere firmiter aiebat Benedictus. Die Mercurii 21 Novembris in sessione tertia enarrata fuit series Benedicti actorum a suscepto pontificatu, laborumque pro Ecclesiæ pace sumptorum: atque relatio continuata est per quinque alias sessiones. Concilio huic intererant omnes fere Præsules Castellæ, Arragoniæ, Navarræ, Provinciæ, Vasconiæ, ac Sabaudia, omnino centum viginti circiter. Memorantur ibidem inter alios Alexander Patriarcha, Petrus Lunius Toletus, Garcia Ferdinandus Heredia Cæsar-Augustæ, ac Petrus Zagarriga Tarracensis Archiepiscopi.

## §. XXII.

*Comitia Francofordiana.*

Interim Papa Gregorius transacto Senis trimestri spatio Ariminum delatus ibi hyemem traduxit. Inde in Germaniam ut Legatum misit Antonium Corrarium nepotem suum Cardinalem Episcopum Portuensem, qui Rupertum Romanorum Regem hortaretur, ut neminem ad concilium Pisanum mitteret. Legationis litteras dedit 13 Dec. 1408. Sed & Cardinales

Th. Niem.  
l. 3. c. 36.

Rayn. n. 60.